



Hunc librum Muis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
SABBATHI
SANCTIFICATIONE
ET PROFANATIONE,

Quam,

DEO benignè adjuvante
& consentiente

Amplissimo summeqve Reverendo Theologorum Ordine
in ACADEMIA LIPSIENSI,

SUB PRÆSIDIO

DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.

Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non Facultatis
Theologicæ Assessoris gravissimi, Academiæ Decemviri, Alu-
mnorum Electoralium Ephori, Collegii B. Mariæ Virginis Collegiati,
& Polonicæ Nationis Senioris,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI

*omni honoris atqve observantia cultu æternum
devenerandi,*

IN AUDITORIO THEOLOGORUM PAULINO

publicè ventilandam proponit

M. JO. Gottlob Hempel / Burckavia-Lus.

Serenisf. ELECT. SAX. Alumn.

Anno MDCXCI. d. 27. Augusti.

LIPSIÆ, LITERIS WITTIGAVIANIS.



DISSEPTATIO THEOLOGICA
DE

SABBATHI

SANCTIFICATIONE
ET PROMOTIONE

DEO benignè adjuvante
& consentiente

Amplissimo summoque Reverendo Theologorum Ordine
in ACADEMIA LIPSISNENSI
SUB PRAESIDIO

DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.

Consistorii Electoris & Ducis, nec non Facultatis
Theologicae Aulicae Praesidentis, Academiae Decemviri, Alti-
morum Electoralium Episcopi, Collegii B. Mariae Virginis Collegii
& Polonicae Nationis Seniors

DN. PATRONI PRAECEPTORIS AC PROMOTORIS SUI

IN AUDITORIUM THEOLOGORUM BAULINO

M. JO. GOTTLOB GUMPERT, BUCKHAVIA-L. UL.

ANNO MDCCLXXII. M. AUGUSTI.

LIPSIÆ, LIBRARIIS WITIGRAVIANIS



DEO TRIUNO AUSPICE!

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Satis longum tempus est, ex quo iste bellorum turbo Germaniam nostram perflat, & nunc vicina quoque regna convellere incipit. Cogitantibus de his ipsis motibus, sæpiusculè in mentem venit, quod Soter noster opt. Max. & Philadelphus sincerissimus, *Matth. XXIV, 6. & 7.* ait: *Audituri estis bella & rumores bellorum. Consurget gens in gentem, & regnum in regnum.* Causam dicere difficile & periculosum. Politici alii has, alii alias faciunt. Non vacat in præsens adducere in medium, quæ illi non obiter in hanc rem passim edisserunt. Quòd si verò peccata, quæ secundum Theologorum placita præcipuè Rebusp. ruinam accersunt, penitus examinemus, in tanto illorū censu huc maximè referenda esse videtur *Sabbathi Violatio.* Ut enim illa sæculi genio hodiè in peccatis vix numeretur, omnium tamen maximè justissimum iudicem ad gravissimas pœnas, ut sunt bella, ignis, pestis, annonæ caritas &c. incitare solet. Loquuntur id ipsæ sacræ literæ: quibus abundè satis edocemur: eum in transgressores Sabbathi nullo non tempore severissimè animadvertisse: e. g. apud Corinthios contagiosis puniuntur morbis *1. Cor. XI, 30.* Judæis gladium Babyloniorum minatur Deus, cum Sabbathà sua contaminassent, *Ez. XXII, 8.* & prophanatoribus Sabbathi indicit Dominus incendia urbium, *Jerem. XVII, 27.* neque quemquam fugit lapidatio ejus in deserto, qui ligna in Sabbatho collegerat, *Num. XV, 35.* Quomodo etiam nostrò hoc ævo Sabbathi violatores divinitus fuerint puniti, exempla passim sunt obvia: adducit nonnulla *B. Dannh. in Lact. Catech. P. 1. p. 551. seqq.* plura



habet Promptuarium Exemplorum p. m. 439. Ast verò non tantum temporalibus, sed etiam æternis suppliciis ac tormentis Deus ea de causa homines tales afficere solet. Est itaque omnino Doctrina de Sanctificatione Sabbathi ad conservandum Christianismum puramque religionem pars maximè necessaria: adeò ut illi Theologi, qui tertium Decalogi Præceptum, nervum intelligentiæ & obedienciæ cæterorum Præceptorum, item optimam de tota lege medullam efficacissimumque vinculum, quò tota Lex colligatur, omniaque Præcepta piè exercentur, appellârunt, errorem minimè commiserint. Undè & *B. Franzius* Sabbathi celebrationem tanti æstimavit ut ingenuè confessus sit: *Qui Sabbathum violat atque contemnit, fide destituitur. Disp. ad Deut. IIX. thes. 95.* Quale enim Sabbathum, talis sanctimonia: ubi nullum Sabbathum, ibi & nullus Christianismus: in Sabbatho cognoscitur Regionis sanctitas. Quid igitur mirum, quando Dominus tales Sabbathi contemtores gravissimis afficit suppliciis? Sicuti contra illis, qui id religiosè observant atque sanctificant, præmia tam temporalia, quam æterna ex gratia promittuntur. Profectò nullum Præceptum ejusmodi gravissimis argumentis propositum est, totiesque repetitum, nisi hoc: & quia cardo salutis in hoc versatur, appositus huic præcepto est Spiritus S. asteriscus זכור seu *memento*, ut tantò magis ejus necessitas atque utilitas inculcetur, & quicquid hòc Præcepto injungitur, nunquam in oblivionis nebulam se recondat. Vid. hanc in rem elegantissima verba Summe-Reverendi *Dn. D. Carpovii*, Patroni ac Præceptoris mei nunquam sine reverentia nominandi, in Ascetico libello *de Dictis Pædevt. Medit. LI. per tot.* Quilibet ergò eò contendat, ut Diem Sabbathi religiosè atque ritè sanctificet, opera DEO grata acceptaque
exhi-

exhibeat. De his ipsis operibus verò, tam licitis, quam il-
licitis hóc die, pauca quædam in præfenti in medium ad-
ducere, publicæqve ventilationi subicere in animum in-
duxi meum. Quoniam verò sine DEO omnis conatus
noster irritus, faxit ipse, ut isthæc tum cum eo incipian-
tur, tum etiam cum eodem felicem consequantur finem.
Ne verò *ἀμεθοδία* aliqua nobis affricetur, rem totam dua-
bus Sectionibus expeditam dabimus. Sit igitur

SECTIO I.

DE

SABBATHI SANCTIFICATIONE.

§. I.

Sabbathi natales, si nomen paulò accuratius perpenda-
mus, hætenus diversi diversis in sedibus quæfiverunt.
Sunt qui illud ex Græcia, sunt & qui ex Ægypto deri-
vant. Rectius verò ejus natales ex Lingvâ Hebræa dedu-
cuntur, ut ipse Historicorum cunctorum Parens *Gen.*
II, 2. Exod. XX, 8. seqq. Lev. XXIII, 32. XXV, 2. ad fatieta-
tem usque comprobat, ubi Rad. Ebr. *שבת* cujus significa-
tio cessandi seu desistendi ab opere, primaria & essentia-
lis, quiescendi, ita ut supponatur labor, lassitudo & neces-
saria defatigatarum virium refocillatio, accidentalis, ac-
cessoria & materialis est. Quod idem docet electum illud
DEI organon & Apostolorum Primpilus *Ebr. IV, 9. seq.*
σαββατισμὸν & κατάπαυσιν eleganter inter se permutans ac
pro Synonymis habens. Vid. plurib. *Matth. Martin. in*
Lex. & And. Rivet. in Ex. XX. Oper. T. I. p. 1302. seqq.

§. II. In Sacris & *annus & dies* memoratur *Sabbathi-*
cus. Annus quidem quisque septimus (Sabbathismus
aliàs annorum nuncupatus,) quò apud Israëlitas cessan-
dum erat ab agricultura & à debitis exigendis, servisqve

A 3

retinen-



retinendis; unde & annus remissionis dicebatur. *Vid.*
Lev. XXV. & *Deut. XV.* Dies Sabbathi *specialissime* est dies
septimus in hebdomade, *Gen. II, 2.* *Exod. XX, 10.* *speciali-*
ter quilibet dies festus, *Ezech. XX, 21.* qui duo significatus
coeunt in magno illo die Sabbathi, in quem incidit Sabba-
thum & Pascha, *Job. XIX, 31.* Generaliter sumitur pro sin-
gulis hebdomadae diebus, *Matth. XXIII, 1.* Singularis au-
tem est Sabbathi Δευτέρα πρώτη adpellatio, quod πρώτη δευ-
τέρα τῆς πρώτης. *Luc. VI, 1.* quae de re consuli possunt
Antiquitatum Sacrarum & Judaic. Scriptores, *Corn. Ber-*
tramus, Sigonius, Zepperus, Menochius, Masius in Josuae 6. &
Comment. ad Lev. XXV. *Alstedius in Praecognitis Theol. Ri-*
bera de Templo l. 5. per totum, Scalig. L. 6. de emendat. temp.
Casaubon. Exercit. 13. ad Annal. Bar. Adde *Constant. L'Em-*
pereur in Not. ad Benjam. Tudelensis Itinerar. p. 223. Hospi-
nian. de Orig. Fest. fol. 8. Azorium in Theol. Mor. Tom. 2. l. 1.
c. 1. qu. 9. Bezam. Drus. Johan. Lightfoot, & imprimis Sum-
me Rev. Dn. D. Seb. Schmid. in pecul. tract. aliosve.

§. III. Praeterea quadruplicia in Sacris literis me-
morantur Sabbathata, laxius accepta voce: Sabbathum scil.
Creationis, Gen. II, 2. a DEO ipso celebratum; *Redemptio-*
nis, quod unigenitus DEI Filius pro nobis passus, secun-
dum humanam naturam in sepulchro quievit *Luc. XXIV,*
54. 56. *Sanctificationis,* quod peculiariter consecratō Spi-
ritus S. quietem in hominum cordibus habet; & denique
Consummationis, quod de *Ebr. IV, 3. 6. 9.* ubi Sabbathum ex
Sabbatho, in omnem aeternitatem celebrandum promit-
titur, *Esa. LXVI, 23.*

§. IV. Sabbathum sanctificare, formaliter non tantum
notat diem illum usui sacro & cultui divino destinare atq;
consecrare: sed hoc ipsum quoque facere sanctis operi-
bus; quo sensu alias quoque nomen DEI sanctificari, hoc
est,

est, sanctis operibus celebrari dicitur, *Es. XXIX, 23. Vid. B. Luth. Catech. Maj.*

§. V. Sabbathi sanctificatio non in deserto demum cum lege Moysis cœpit; sed à primordio mundi ab ipso DEO habet originem. Licet haud pauci reperiantur, qui negativæ sententiæ faveant, ut sunt *Azorius, Suarez, Gomarus &c.* tamen quia affirmativa est communissima, nec repugnat analogiæ fidei, aut Scripturæ, planè non video, cur in eâ nobis non sit acquiescendum. Huic sententiæ nostræ subscribunt è nostratibus *Lutherus Comment. in 2. cap. Genes. & alter Martinus, nempe Chemnitius in Expos. Decal. Loc. Com. Tom. 2. p. 54.* Et qui primò locò adducendi erant Patres antiqui, *Chrysost. Homil. X. in Gen. II. Theodoret. quæst. 1. in Gen. 21. August. Ep. 86. ad Casul. aliique*, quos longâ serie recenset *B. Calov. in Bib. illustr. ad Ex. XX, 11. in Comm. ad Gen. p. 238. & Chronico Bibl. sect. 1. q. 2.* E Reformatis haud pauci quoque habentur, qui affirmativam nobiscum tenent sententiam, quos vide *ap. Rivetum de Orig. primæ observ. Sabb. c. 1. E Pontif. August. Steuch. Eugub. in Cosinopœia ad c. 2. Gen. Cornel. à Lap. in c. 2. Gen. Ribera in Ep. ad Heb. c. 4. n. 8. & alii plures.*

§. VI. Hinc duo probè observanda in Sabbatho, nimirum: *Genus sive morale*, quòd certus dies septimanæ cultui divino sit consecrandus: *Species sive ceremoniale*, quòd præcisè septimus, sive in hebdomade ultimus. Genus & morale, quoniam præceptum hoc est pars Decalogi, etiamnum in Ecclesiis nostris observamus, non autem speciem & ceremoniale. Hæc enim circumstantia (septimus dies) non ad legem moralem pertinet; sed est ceremonialis circumstantia.

§. VII. Distingvendum itaque omnino hic erit inter Septimum Judaicum & Christianum. (*Vid. D. Helvic. T. 4. Diss.*

4. *Disp. Giess. p. 197. § 105.*) Sabbathum Judæorum ultimo scil. die (quem Saturni vocant) celebrari solitum, in N. T. est abrogatum atque mutatum, & loco ejusdem Apostolica Ecclesia diem Dominicum servare cœpit *Act. XX, 7. 1. Cor. XVI, 2.* Et hæc est & antiqui & præsentis universi Christianismi sententia. A quo qui discesserunt, (ut Ebionæi, Cerinthiani, Nazaræi, Appollinaristæ) Judaizantes & Sabbatharii dicebantur. *V. Greg. Naz. Orat. 19. Epiphani. August. Philastr. de Hæres. Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 13. Greg. Magn. l. 2. Ep. 3.* Ut autem libertatem Christianam ostenderet Ecclesia primitiva, nec quicquam cum Judæis hac in parte commune haberet, Sabbathum ex die Septimana ultimo, vel septimo *formaliter* sumto in diem primum, Resurrectionis Dominicæ memoriam sibi refrigerans, transtulit. Hæc mutatio facta non jure Ecclesiastico, sed divino. *Vid. hic B. Dannhau. Disp. IIX. Decal. §. 4. p. 546. D. Ziegler. in Animadvers. ad Grot. p. 68. seqq. imprimis D. Balduin. in Cas. Consc. D. Calov. qui in Comment. ad Gen. p. 247. inquit: Nec abrogata nisi auctoritate divina ipsius Christi, & ob gravissimam causam.* Multi Reformationum nobis quoque accedunt, ut *Calvinus ipse Comment. 1. Cor. 16. Franciscus Junius Prælect. in c. 2. Gen. D. Andreas Essenius in Dissert. de Moral. Sabb. p. 100. Wendelin l. 2. de Theol. Christ. p. 893. Maresius contra Völckel. Rivetus aliique plures.*

§. IIX. Quoniam verò, ut satis constat, Sabbathum non est unius generis; siquidem & Judæi & Turcæ nec non Gentiles Sabbathata sua habuerunt olim, atque adhuc habent: (*V. Euseb. Præpar. Evangel. L. XIII. c. 13. Clemens Alex. Stromat. 5. p. 438.*) Ideò nos intelligimus heic loci Sabbathum, quod Christiani celebrare solent, ubi homines in Ecclesia Christi viventes, à legis ceremonialis jugo liberati, illud sanctificant tempus seu diem, quo Deus ipsos ab operi-

operibus hujus vitæ quiescere, & ad cultum divinum externum (præsuppositio internô) religiosè convenire dicitur, ritè observant. Qui plurade Sabbathi significatis & ad prænotabilia spectantibus nosse desiderat, adeat *Ravannell. Biblioth. S. P. II. f. 939. Jansen. Concord. Evang. c. 37. Hospinian. l. 1. de Orig. Fest. c. 3. Menoch. de R. E. l. III. c. 2. seq. Brochmann. LL. Theol. Loc. de Lege c. 10. Sect. 1. f. 40. Walth. Spong. Mos. ad Gen. II, 3. §. 4. Joh. Binch. Mellif. Theol. P. III. Loc. XV. 187. seqq. & Dannhaw. Disp. IIX. Decal. §. 3.* Nobis in recensendis his generalibus in præsententi occupari non est integrum: nec etiam speciatim spinosas atque intricatas de Sabbatho quæstiones, quæ hîc aliàs moveri solent, tractare volumus: optimè enim constat, Controversias Sabbathicas tractare rem esse periculi plenam; hinc & antiquis Jurium Interpretibus Quæstiones, quarum pondus, aut saltem status, ingenia eruditorum torqueret, Sabbathinæ dicebantur; Denominabantur autem ita non à tempore, sed materia, testante *Besoldo in Thesauro Practico.* Quapropter nos gratæ brevitati litantes, sepositis illis omnibus quæ remoram aliquam injicere solent, rem ipsam potius aggredimur.

§. IX. Sanctificatio Septimi diei seu Sabbathi consideratur *velex parte DEI*, atque ita DEUS sanctificasse dicitur diem hunc à communi usu separando, & sacro cuidam deputando, uti id patet ex *Gen. II, 3. & Ex. XX, 11. Vel ex parte nostri*; atque ita dicimur sanctificare hunc diem, agnoscendo & celebrando illum tanquam sanctum, & sanctis usibus destinatum, in quo sensu vox hæc aliàs occurrit, ut, *2. Chron. II, 4. Es. XXIX, 23.* Sanctificatio autem hæc duobus membris continetur. Alterum est, religiosa diei Sabbathi seu quietis sacra observatio, quâ ex hujus præcepti cogniti materia & reverentia, ab operâ opereque

B

quo-



quotidiano, ad obsequium, DEO summo Legislatori præstandum, cessatur. Alterum est, quietis illius, ad publicum cultus divini exercitium consecratio: uti ex contraria Sabbathi profanatione apparet. Quò in nostra hæc Sabbathi Sanctificatio consistat, jam paulò altius & distinctius hîc exponendum atqve perpendendum venit.

§. X. Quoniam itaqve septimus dies est Sabbathum Jehovæ i. e. hunc diem (qui nunc in Novo Fœdere primus) sibi Dominus consecravit, igitur & cultu illius erit hoc temporis spatium transigendum. Possumus autem cultû hunc commodè *in internum* & *externum* dispescere.

§. XI. *Cultus internus* maximè placet DEO. Nam benignissimum Numen, amoris illud sacrarium, cor puto, quod omnium motuum in homine est principium, respicit, ideoqve & quàm maximè ad cultum internum attendit, illumqve seriò exigit. Hic verò consistit *in pia devotione, quæ ceteros actus dirigit.* (vid. B. Luth. Catech. Maj.) Ut enim ipsa Numinis veneratio in interno mentis actu cum primis consistit, ut scil. magni faciamus DEUM, ejusque voluntati revelatæ attendamus: gemellum in modum quoque hujus diei sanctificatio tendit eò, ut antè omnia attendentes ad supremi Numinis ac Nominis Majestatem & voluntatem, devota propensione in pietatis exercitia nos sanctos exhibeamus. Insuper si cum cultu externo internus semper connexus esse debet, ille absque hoc cultus nomen haud meretur. Nec ulla potest ratio proferri, cur DEUS externum cultum sæpius rejecerit, nisi quia destitutus fuit spiritu, & non tam actus religiosi vitales, quàm langvidi, & vitam mentientes fuerunt exhibiti.

§. XII. Non autem sufficit cultus internus; DEUS enim *externum* quoque sibi deposcit, & eò collimat, quando

do homini imperat, ut diem septimum sanctificet. Hic cultus dispescitur *in publicum atque privatum*. *Cultus publicus seu solemnus externus requiritur, juxta Levit. XXIII, 3. Sex diebus facietis opus, die vero quovis septimo Sabbathum cessationis, convocatio sancta esto.* In conventibus vero illis publicis atque Ecclesiasticis quæ observanda, sufficienter & abundanter descripta habemus apud *B. Thumminium*, qui ita, Duce Scriptura, decernit: (1) *Instituatur publici Ecclesiae congressus, ut fideles congregentur ad publicum Ministerium, Psal. 100, 4. Psal. 122, 4. Es. 2, 3. Matth. 18, 20. Heb. 10, 25.* (2) *in publicis illis congressibus propaganda est vera Doctrina, verbum DEI prædicandum, Ez. 44, 23. 24. Ephes. 4, 29. Luc. 4, 16. verbum DEI audiendum & discendum 1. Cor. 14, 31. Act. 17, 11.* (3) *in iisdem congressibus administranda ceremonia divinitus instituta, præsertim Sacramenta, quæ licet in N. T. ad certum tempus ac locum non sint alligata, tamen convenit, eorum administrationem in publico Ecclesiae cœtu potissimum vigere, 1. Cor. 10, 20. 1. Tim. 2, 1. Marc. 16, 15. Act. 20, 7.* (4) *Instituenda publica & solemnus DEI invocatio & celebratio, quæ confessio, gratiarum actio, & preces nostræ conjungantur cum Ecclesia, Psal. 22, 23. 26. Act. 2, 42. Ez. 33, 30.* (5) *Colligendæ Eleemosynæ ad sustentationem pauperum, Esa. 58, 7. 1. Cor. 16, 1. 2. ad alendos docentes & discipulos in Templis & in Scholis, Gal. 6, 6. 2. Thess. 3, 8. Matth. 10, v. ult. &c.* Audiamus & de hoc *B. Megalandrum nostrum*: Was heist heiligen? Einen Tag/ Stunde oder Wochen/ freylich nicht/ wie es den Jüden und unsern sollen Heiligen träumet/ gang müßig sitzen/ und nichts thun: sondern zum ersten etwas daran thun/ das da ein heil. Werk sey / d. i. Gott allein zustehet/nehmlich daß man vor allen Dingen Gottes Wort rein und heilig predige/ und die andere das Wort hören und lernen &c. *Tom. 8. fol. 218. Conf. B. Dannh. Lac. Cat. P. 1. p. 540. Μηκέτι σαββατισόμεν' Ιουδαίως, ως δε γίαις*

Χαίροντες. ἕκαστος ὑμῶν σαββατίζετω πνευματικῶς, μελέτη νόμον
χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει, δημοκρασίαν Θεῶν θαυμάζων σὺν ὀρχήσει,
sunt verba antiquissimi Martyris Ignatii ad Magnes. Festos
dies Judæus agit, verum juxta literam: festa gentilis agit, ve-
rum juxta corpus, luxu scil. & comessatione: festos Christiani
agimus, verum ut Spiritui gratum est; scribit Greg. Naz. Orat.
44. p. m. 266. Edit. Antwerp. Anno 1612.

§. XIII. Ut adeo excusatos illos a gravissimo peccato ha-
bere haud queamus, qui Conventus publicos Ecclesiasti-
cos negligunt, nullaque urgente necessitate ab iis absti-
nent, sufficere sibi rati, si domi Scripturæ aut ejus exposi-
tionibus legendis sint intenti. Aliud profecto ipsi corda-
tiores gentilium intellexerunt, aliud suo exemplo docuit
Salvator noster, aliud vir juxta cor Domini, Rex & Pro-
pheta David sapuit, qui scil. conventibus publicis Ecclesi-
asticis interesse anxie optabat, *Psal. XXVII, 4.* nec non alios
ad hæc exercitia obeunda invitabat, *Psal. XCV, 1. seq.* Nam
ex diligenti meditatione & auditu verbi divini in consci-
entiâ suâ de filiatione & amore DEI, auditores certi red-
duntur. Nam qui ex DEO sunt, verbum DEI audiunt, *Joh.
IIX, 47.* Et Gregorius l. II. Ep. 3. elegantissime hac dere dixit:
*Dominicò die a labore terreno est cessandum, atque omnimodo
orationibus insistendum, ut si quid negligentie per sex dies ag-
tur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.*

§. XIV. Huic cultui externo, ut exercitium quoque
privatum & præmittatur & jungatur, favet congrua
maximè commoditas atque utilitas. Si enim gentiles
cæci animos voluptatibus deditos ad Sacra admittere no-
lebant, sed his verbis: ἕκαστος, ἕκαστος, ὅστις ἀλλοτῆος (vid. *Tira-
quel. in Legibus Connub. lib. 15. n. 116.*) repellebant: Multo
magis id Christianis incumbet: id quod faciendum do-
cent Theologi elegantissime ex *Psal. 29, 1. seqq.* V. Kuch-

lino

lin. Diss. Catechet. de Festis, & Perkinsi Explicat. Decalogi,
Voët. Diss. sel. P. III. p. 1265. Conf. quoque Schoock. Exerc.
Var. Exerc. IX. p. 100. seqq. Dicitur autem *Cultus priva-
tus*, qui extra convocationem sanctam intra privatos pa-
rietes frequentatur. Talem *præmittendum* exigit cultus
publici dignitas. Nam quia hic nostrarium virium non
est, præmittenda utiqve cultui publico privatim (1) *pia o-
ratio*, quâ DEUM supplices invocamus, velit per hunc
Sabbathi diem nobis præstò esse, desiderium pium con-
gregationes publicas visitandi, atque verbum suum audi-
endi &c. in nobis accendere. (2) *Scripturæ S. Evangeliorum
& Epistolarum Dominicalium prævia meditatio* &c. Huc
referenda sunt illa verba quæ B. Dannh. habet, *Lact. Cat.
P. 1. p. 540.* Mann soll sich vor dem Sabbath recht bereiten/bey
zeiten aller Dienst-Arbeit sich müßigen/in Speiß und Tranck und
anderer fleischlichen Wohlhüsten sich mäßigen. Sintemahl es die
Erfahrung bezeuget / wer sich den vorigen Tag über ermüdet/oder
sonst wohlbezechet schlaffen gangen / hernach den andern Tag ge-
schickter zum schlaffen und schnarchen / als zum Gottes Dienst sey.
Morgen ist der Sabbath der Ruhe des HERRN / ruffet Mo-
ses / *Ex. XVI, 23.* Heiliget euch bey zeiten durch wahre Busse / in
Betracht- und Wiederholung der Sünden/die man die Wochen ü-
ber begangen / bittet sie GOTT ab / sehnet euch nach den Vorhöfen
Gottes mit herzlichem Verlangen. Nec silentii peplo invol-
venda elegantissima Dn. | D. Schuppii in hanc rem verba,
quæ legi possunt in *Conc. de Sabb. Hamburgi* habita: Wenn
vor zeiten der Sonntag kam / und zur Vesper geläutet wurde / so
wurden alle Krämer-Laden/alle Werckstätt / zugeschlossen. Die
Eltern sagten zu ihren Kindern: Liebe Kinder/räumet auff / nicht
allein im Hauße / sondern auch im Herzen: Der Sonntag bricht
an / GOTT helff / daß wir ihn mit heiligen Wercken / Zungen und
Gedanken begeben. Darauf fingen sie an zu beten / zu lesen und

zu singen/und wenn sie sich zu Bette legten/sagten sie: Hilf lieber
Gott/das wir wohl ruhen/und morgen lustig seyn dein Wort zu
hören. Wenn die Morgenröthe anbrach/hörte man in allen
Häusern die Junge und alte mit lauter Stimme beten und aller-
hand geistl. Lieder singen. Wenn die Mutter ihre Kinder flech-
tete und schmückte/musste das Kind ein geistl. Lied singen/oder die
Mutter sagte den Kindern etwas für aus Gottes Worte. *V. plur.*
ap. B. Dannh. in Colleg. Decalog. Disp. IIX. §. 8. Malè pro-
indè illi faciunt, qvi se minus rectè ad Sabbathum præpa-
rant, in multam noctem, ad auroram usqve Sabbathi, o-
peribus, aut comessationibus, aut lusibus sunt intenti: hõc
ipso enim ad satietatem usqve demonstrant, se Sabbathi
minimè recordari; animum ac corpus obruunt ac præ-
gravant, ineptumqve reddunt ad legitimam Sabbathi ob-
servationem & exercitia pietatis obeunda.

§. XV. Diei hujus sanctitas insuper qvõq; postulat, ut
etiam *cultus externus privatus subjungatur*. Licet enim
per totum diem Ecclesiastici conventus continuari ne-
queant, ob docentes pariter atqve discentes; ne illi scil.
nimium defatigentur, his autem tædiũ aliqvod obrepat:
sanctis tamen operibus integer dies est consumendus,
privatis porrò, finitis publicis, ita nimirum ut decens re-
petitio verbi auditi, unã cum devota gratiarum actione,
protanto beneficio, vel lectio Capitum Biblicorũ, vel si ar-
gumentum lætitiæ præsens sit, Hymnorum concentus &
preces, aut alia similia ne intermittantur. Id qvõd probè
notandum ac observandum contra Quackeros seu Tre-
mentes (â trepidatione seu tremore, qvem in *ensõis* pa-
tiuntur, Anglicè denominati) qvi diem septimum seu
Sabbathum Domini prorsus sanctificare nolunt, perhi-
bentes Sanctificationem ejus esse internam, ac fieri in spi-
ritu; uti hæc eorundem deliramenta accuratè castigata
sunt

sunt legenda apud D. Dannh. Disput. Theol. de Ortu & pro-
pressu, nec non Dogmat. Quack. Phant. VII. p. 30. Quem-
admodum etiam suarum partium se probè fategisse malè
sibi persvadent illi, qvi, ubi ex conventibus Ecclesiasticis
domum reversi fuerint, omnem verbi divini curam de-
ponunt, atqve operibus, quæ certè cum legitima Sabba-
thi Sanctificatione nequaquam consistere possunt, va-
cant. Quos omnes pro contemtoribus Sabbathi haut
immeritò habemus.

§. XVI. Possemus hîc in specie opera illa Sabdathi-
ca, quibus in omnibus tribus Hierarchiis sanctificatur,
Sabbathum, recensere; quoniam verò à summis Theo-
logis satis superqve de his actum fuit, ad illos Lectorem
Benevolum amandatum volumus: sigillatim hæc de re
elegantissimè agit *Edictum Hasiacum* (*de Sabbathi Cele-*
bratione) pag. 4. seqq.

§. XVII. De cultus huius duratione seu extensione heîc non
abs re disquirimus. Licet igitur sint, qvi existiment, diem
saltem dimidium cultui divino, partem autem reliquam
negotiis aliis impendendam esse: nos tamen ipsius DEÏ
verbis strictissimè inhærentes, asserimus: planè non suffi-
cere, si dimidium diei cultui divino, dimidium aliis exerci-
tiis mundanis tribuamus; sed totum integrumqve Sab-
bathi diem requiri. Nam clara nimis vox est יום diem
denotans, & aliàs illud designat tempus, quo lux solis con-
spicitur, opponiturqve illi לילה , nox, uti constat ex *Gen.*
I, 5. Ut adeò vel maximè sit improbanda *Joh. Spenceri in*
Lib. de Legibus Hebræorum ritualibus & earum rationibus
(*lib. 1. Cap. IV. S. 13. f. 95.*) sententia cùm scribit: *Illi miserè, ne*
dicam, ridiculè hallucinantur, quinos ad Sabbathum (uti lo-
quuntur) Christianum otio & pietatis officiis integrè dicandum,
authoritate mandati quarti, de vincos asserunt. Sed quò ten-
dat,

dat, & in quod dirigat arcum, quis non videt? Perstat itaque sententia nostra, quod totum hunc diem Dominus Deus noster a nobis sanctificari sibi que dedicari postulet. Bene igitur illi sese gerunt, qui in sanctificatione nequamquam sunt remissiores; sed totum diem piis exercitiis, vel saltem maxima ex parte consumunt. Minimè enim Sabbathum est dividendum, atque dimidia pars DEO consecranda, dimidia verò hominum arbitrio atque laboribus relinquenda. Et profectò, qui DEO, quæ DEI sunt, danda esse novit, is facilius in excessu, (ut mundo videtur,) quam in defectu Sabbathi quietem quærit: imò præstat ampliare, quam cum scandalo & conscientie morfu restringere hoc præceptum. *Vid. Chrysoft. Homil. X. in c. 2. Gen. Luth. in T. Jen. passim; D. Gerhard. Tom. III. p. 137. §. 126. p. 149. §. 142. imprimis Summe - Reverendus Dn. D. Carpz. l. c. figillatim p. 939. seqq.*

§. XIIX. Tandem liceat mihi hanc sectionem finire verbis generalibus ac emphaticis *B. D. Waltheri*, quæ ex Epistola ejus ad Amicum scripta allegat *B. Dilherrus in Notis sue ad salutem Vie (im Weg zur Seligkeit) pag. 723. Mea sententia eò tendit; ut *Δεξιῶν δὲν* fatear, me planè esse persuasum, **TOTUM INTEGRUM QUE SABBATI DIEM** Homini Christiano, verè tali, cujuscunque vel census sit, vel status, vel sexus, sanctificandum, & non, nisi ejusmodi Actionibus, esse transigendum, quæ ad Solius **DEI TRINIUNIUS** spectant Gloriam; ad propriam Animæ salutem sempiternam; & ad proximi ædificationem. Ab hoc fine tergeminò quicquid, extra urgentissime necessitatis casum, deviat & desciscit, cum peccato mihi verè videtur conjunctum.*

SECTIO

SECTIO II.

DE

SABBATHI VIOLATIONE SEU PROFANATIONE.

§. I.

HActenus Opera Die Sabbathi licita atqve imperata (qvæ scil. sunt principaliora) perlustravimus: sequitur ut nunc qvoqve opera hoc die minùs licita atqve prohibita paulò curatius perpendamus. Sunt autem illa, quibus Sabbathum Domini DEI nostri specialiter violatur, (1.) Opera servilia; (2.) Opera officii & muneris nostri, nostris usibus aliàs deputata atqve destinata; (3.) Opera cultui sacro vel directè vel indirectè opposita.

§. II. Violatur Sabbathum (1.) per opera servilia. Hic verò probè notandum, quid per opera servilia intellectum velimus: nimirum hæc opera tripliciter possunt considerari: (a) *ratione materiae*, cum aliquis occupatus est circa ea objecta, circa quæ servus versatur serviliter, i. e. idem agit, quod servus solet agere laboriosè ac cum molestia: ut sunt, *arare terram, portare onus &c.* quocunqve fine aut intentione id fiat. (b) *ratione finis*, quando quispiam occupatur circa ea, quæ per se quidem laboriosa ac cum molestia non conjuncta, & sic in liberalibus habentur, quæstus tamen aut lucri causa eadem agit: e. g. *Si quis paucas lineas scribat, aut breve iter faciat, ut sibi aliquid lucretur.* (c) *ratione materiae & finis simul*, quando quis occupatur circa ea, quæ fervorum sunt, serviliter, idqve quæstus aut alicujus lucri causa: e. g. *quando quis colit agrum, aut facit opus quoddam mercede conductus, emetitur longam viam magna cum molestia, ut aliquid lucri faciat &c.* Uti omnia fervorum opera sunt, utpote quæ vel laborio-

C

fam

fam defatigationem, aut lucrum quæstuosum, aut etiam
utrumque involvunt. Fiunt enim servilia propter finem
illiberalem, licet non sint talia naturâ suâ. Ad hæc servi-
lia opera *venationes, aucupia, & piscationes &c.* referimus.
Hæc enim licet à plerisque lucri causa non fiant, trahunt
tamen secum operas laboriosissimas, & quidem sæpenu-
merò cum hominum haud parvo periculo conjunctas.
Quòd si tamen citra quæstus intentionem atque mole-
stiam, sive venatoris & aucupis, sive aliorum, quos eam in
in rem adhibemus, laborem fiant, e. g. *si quispiam manu
piscem capiat, cane persequatur leporem, globo petat avem &c.*
ad opera libertatis referri possent. Si autem quispiam og-
ganiret: piscatum die Dominico omninò licitè posse fieri,
eò quòd certum genus piscium non omni, sed certò tan-
tùm anni tempore ad littora accedat: sic Haleces in Hol-
landia nisi certo anni tempore capi non possunt, & ea res
quoque ad victum pertinet. Ast verò his respondemus
*cum Voët. Diss. sel. P. III. p. 1264. Nam quicquid est de captu-
ra halecum, non valet tamen consequentia ad quamcunque
aliam piscationem, nedum ad quamcunque venationem.
Sequeretur providentiam divinam malè dispensasse tempora,
& inter necessitates animæ ac corporis distribuisse: siquidem
nulla aut paucula atque incerta admodum essent Sabbatha Pi-
scatoribus & Venatoribus. Etiam si certo anni tempore capian-
tur haleces, non tamen cardo istius negotii vertitur in diebus
Dominicis. Tantum halecum DEO benedicente possunt cape-
re mensibus aut hebdomadibus aliquot, quantum suffecerit ani-
mo suâ sorte contento, 1. Tim. 6.*

§. III. Improbamus itaque verba Filliucci Tract 27.
operis moralis c. 1. quæst. 1. num. 405. *Durum videtur, in-
quit, mortalis damnari, si quis duas aut tres horas operibus
servilibus in die Dominico impendat.* Nec non *Alloze in Al-
phabeto*

phabeto morali Tit. Fest. p. 592. Quibus causis excusentur opera servilia die Dominico facientes? R. Excusat laborantes die Dominico spiritualis necessitas, otii vitandi, vel aliorum malorum.

§. IV. Insuper Sabbathi Profanatores sunt, qui (2) opera functionis ac officii quotidiani ac ordinarii exercent. Si enim sex diebus operandum, & faciendum omne opus nostrum, cessare debet in septimo omne opus nostrum; si septimus dies Sabbathum Jehovæ, ille dies non erit laboris nostri; si denique non faciendum omne opus *Exod. 20.* nostrum quoque h. e. officium nostris usibus destinatum ac deputatum erit exclusum. Huc spectant opera mechanica, aurigarum & cætera, quæ his sunt gemina, quæ diebus operariis & profestis aliàs solent fieri.

§. V. Ille igitur Magistratus, cujus est facultas & libertas plena circa talia (uti etiam sunt opera servilia) disponendi, si nulla facta prohibitione in territorio suo toleret talia, peccatis haut est immunis. Peccat enim tam contra divinæ legis naturam, quam contra proprium sui ipsius officium. Necessaria itaque illa est admonitio, quæ legitur in *Definitionibus Eccles. B. Carpzovii lib. II. Tit. XVI. Sum. 10. 11. Caveant sibi Domini mandantes pariter ac subditi & ministri parentes: illi, ne operas ministris & subditis injungant; Hi verò, ne temerè vel ex nimia avaritia & studio corradendi opes ordinaria vocationis suæ opera in Sabbatho suscipiant & perficiant.* Quam admonitionem *Ordinationi Ecclesiastica Electorali Sax.* insertam legimus in *Art. 17. §.* Es sollen aber die Amtleute / Edelleute und Schössere hiermit ernstlich vermahnet seyn / da nicht nöthige dringende Ursache / und Befehlich von uns / oder sonsten vorhanden seyn / daß sie die Unterthanen an Fevertagen nicht sollen mit Fröhnen / Diensten und andern beladen / und von den Predigten und Gottesdiensten abziehen und

E 2

verhin-

verhindern. *Et eodem Art. §.* Es sollen aber &c. hifce verbis: Dierweil sonst 6. Tage in der Wochen / darinnen solche Dienste können aufferleget und ausgerichtet werden / und Gottes ernstliches Gebot erfordert / daß der Ruhe- und Fevertag geheiliget werde / daß man auch das Viehe / und Zug-Ochsen am Fevertage ruhen lassen / vielmehr soll man den armen Bauersleuten / die man sonst wol in der Wochen brauchen kan / den Fevertag vergönnen / an welchen sie Gottes Wort hören / und Trost in ihren Gewissen aus den Predigten schöpfen mögen.

§. VI. *Ad hæc opera functionis & officii Eruditorum opera* quoque, sigillatim profana, spectant, qvalia sunt: incumbere studiis profanis, disputare circa eadem, & quæ sunt hujus generis alia plura. Nam licet talia per se ad animum illustrandum, perficiendum & ornandum faciant, nequaquam tamen ad quietem Sabbathi faciunt; ideoque, quoniam haud absque molestia fiunt, nec ad sanctificandum faciunt, ab iis hoc die merito est cessandum. Quod enim Rusticis aratrum aut ligo est, id Philosophis sunt literæ humaniores, scientiæ ac artes liberales; ac proinde, ut Rustico die Sabbathi aratro aut ligone uti, ita nec Philosopho libris Philosophicis, est concessum. Idem quoque ferendum judicium de Jure-Consultis nec non Medicis. Addam & hoc cum Voëtio (*Disp. sel. de Sabb. & Festis p. 1259.*) quod homines literati ordinariis studiis circa prophanos Authores aut scientias & pragmatici Forenses suis negotiis curandis magis profanent Sabbathum, quam Agricolaë, Mechanici, &c. *Nam ipsorum opera mentem hominis à rerum divinarum meditatione longius abducunt: cum contra Mechanicæ aliquid lectionis, saltem meditationis, auditionis, collationis, tacitæ & solitariae precationis, sociæ aut solitariae psalmodiæ permittant.* Rejicimus ergo illa studiosorum privilegia, quæ recensentur non
tan-

tantum, sed etiam approbantur à *Conzenio l. IV. Polit. c. XV. §. 2.* Nam eorum autoritate non modò omnibus festis diebus studere, publicè profiteri, disputare studiosis est permissum, sed & licitum ipsis est studere in Templo. Talia certè privilegia haud immeritò impietatis postulamus, utpote quæ clarissimæ Legi divinæ derogant, quæ tamen non minus studiosos quàm alios homines suo illo, *memento*, obligat. *Quid verò sentiendum de studiis Theologicis die Dominico? Resp. verbis B. Dannh. L. Cat. P. I. p. 532.* Andere Arbeit/die unmittelbar zum Gottesdienst oder Devotion zu erwecken nicht gehörig / als die Ordinaria Studia, wenns auch gleich Theologica wären / die auf andere Tage wohl können verschoben werden / mit denen / als ordentlichen Berufs- Arbeiten/ hats eine andere Beschaffenheit / (das ist / sie sind verboten.) *Vid. etiam B. Chemnit. in Harm. c. 47. p. 265. seq. imprimis Tertull. l. 2. adv. Marcion. cap. 21.*

§. VII. Porro violatur Sabbathum, si non abstinenceatur (3.) *ab operibus cultui sacro vel directè vel indirectè oppositis. Directè opposita cultui divino dicuntur, quæ ex ipsa operantis intentione directè cultum divinum per se impediunt: quæ sunt inter alia computationes & epulæ durantibus conventibus publicis Ecclesiasticis ex horum contemptu institutæ; aliorum à cultu publico avocatio &c. Indirectè verò opposita sunt, quæ quidem ex agentis intentione sacrum cultum non tollunt per se, interim tamen sunt talia, ad quæ divini cultus impedimentum insequitur, adeoque nonnihil ad ejus impeditiorem conferunt.* Utraq; sunt prohibita; id quod abundè satis constat tum ex eo, quia quies hoc die imperata debet cultui sacro subservire; tum ex eo, quia aliàs hic dies ordinariis veniret accensendus; tum denique ex eo, quia quod directè vel indirectè cultui sacro oppositum, peccatis accensendum, & proinde omnimodè declinandum.

§. VIII. Talia opera sunt *forenses strepitus, rixæ & judicia.*

Ejusmodi enim opera impediunt ac turbant Sabbathi sanctificationem, quietem huic subordinatam inquietant, affectibus animum disturbant, & in diversa abripiunt, imò sollicitudinem circa humana homini ingenerant, desiderium verò cœlestium sufflaminant, imò denique suffocant. Pertinet huc, quod vir ob monstrosam eruditionem orbi natus ac datus *Hugo Grotius ad cap. 35. Exod. vers. 3.* non succendetis ignem: addit: *hinc ducto argumento, à levi ad grave, i. e. à minori ad majus docuere Ebraeorum Magistri, Pœnas publicas in Sabbathis non esse exercendas.* Quare etiam ipsi Imperatores Christiani, Leo & Anthemius in Cod. de feriis aliique hæc removerunt ab hoc die, probè scil. perspicientes, quod remoram haut levem injiciant devotioni, pietatem sufflaminent, & ordini divino adversentur. Ubi tamen excipiendus necessitatis casus, & quando periculum in mora, e. g. si latro die Sabbathi civibus aut etiam peregrinis iter facientibus struat insidias, aut eos jam jam invaserit, tunc ille omnino hoc ipso die comprehendi carcerique potest includi.

§. IX. Huc quoque *Juramenta operosum apparatus requirentia*, pertinent. Secus verò sese res habet cum illis, quæ talem haud postulant, nec ad laboriosas declinant operas, quæ omninò svadente necessitate aut charitate absque peccato Die Dominico & exigi & deponi possunt. Per se enim juramenta ad cultum divinum, & quidem secundum primæ tabulæ præceptum, pertinent. Sic qui ad Ministerium est vocatus, aut ad gradus Academicos aspirat, ut & Magistratus Academicus, uti in hac alma nostra, aut oppidanus noviter electus, quod etiam in nonnullis locis fieri solet, hoc die, fidem licitè juramento confirmare potest. Ita etiam possunt hoc die foedera juramento firmari &c. *Vid. Dannb. Laet. Cat. P. 1. c. 41. p. 528.*

Tolet.

Tolet. Instruct. l. 4. 24. p. m. 256. Bellarm. l. 3. de Cult.
sanct. c. 10.

§. X. Insuper *Nundina* Die Dominico haut sunt lici-
tæ, in quibus concurrunt omnis furfuris homines, fora
perstrepunt clamoribus, cauponæ implentur, dolus in
contractibus, & alia quævis vitia regnant, ut sunt menda-
cia, perjuria, fraudes, imposturæ, & execrationes Nomi-
nis ac Numinis divini, verbô: *Nundina* plerumque mul-
torum scelerum myriades conjunctas habent. Unde &
Nehemias eos reprehendit severissimè, qui rerum vena-
lium expositione Sabbathum violabant. *Nehem. XIII, 16, 17.*
Quare inter laudes *Caroli M.* haud immeritò refertur,
quod in Constitutionibus suis prohibuerit: *Ne ullus merca-
tus in die Dominico ullo in loco habeatur.* Quod exem-
plum multi Imperii nostri Electores atque Principes lau-
dabiliter secuti sunt. Imprimis de Serenissimorum Saxo-
niæ Electorum pietate & justò zelò in hac causa testis est
Ordinatio Eccles. Elect. Sax. Art. gen. 17. §. Dieweil auch auß
den gehaltenen Visitationibus in verb. Da sich hinsüro derglei-
chen an einen oder mehr Orten zutragen würde / soll der Jahr-
marckt oder Wochenmarckt allewege auf den andern Tag verlegt/
oder also angeordnet werden / daß vor oder unter der Predigt keine
Buden / sondern erst nach vollendeteter Predigt und heiligem Ampt
aufgethan werden / damit der Gottesdienst um der Krämeren wil-
len nicht gehindert / noch die Leute von der Predigt Gottes Worts
abgehalten werden. Et in Decreto Synodali de Anno 1624.
§. Nicht weniger befehlen wir / &c. in verb. daß sie nicht zugeben
sollen / auf den Jahr- und Wochen-Märkten die Buden ehe auf-
zuthun / bis der angestellte Gottesdienst vorüber ist. Si autem
quispiam inveteratam consuetudinem Majorumque au-
toritatem obvertere vellet: illis respondendum erit:
*Consuetudinem illam annosam, inveteratam atque ultra-secu-
larum*

larem haud immerito Protoplastorum perizomatis esse accen-
sendam, quibus frustra obvelatur nuditas. Hinc non minus
eleganter, quam vere Cyprianus Ep. 74. Non hominis con-
suetudinem sequi oportet, sed DEI veritatem. Consuetudo sine
veritate vetustas erroris est. V. Bald. Cas. Consc. L. II. c. 13.
Cas. 7. p. 485. seq. D. Joh. Durrius Theol. Moral. p. 135. Ame-
sius l. IV. de Consc. c. 33. §. 6. p. 246.

§. XI. Sabbathum profanatur quoque Ludorum Schae-
nobaticorum ac Gladiatoriorum exercitio, qui cum nihil
prorsus sacri, ac necessarii aut utilis habeant, multum ve-
ro profani, inanis ac incommodi, sine gravi peccato die Sab-
bathi non instituuntur: cum primis quoniam talis fex ho-
minum scurrilibus verbis tempus terere, spectatores ad
immodicum risum provocare, adeoque privato externo
pariter atque interno cultui remoram haut levem inji-
cere solet.

§. XII. Parili quoque ratione Chartarum, Tesserarum,
Conorum, &c. lusus hoc die minimè est licitus. Unde in-
comparabilis Theologus D. Geierus in Libro, cui Titulus:
Zeit und Ewigkeit / Dom. XVII. p. Trin. p. 682. in hæc erumpit
verba: Daß bey Charten und Würffspiel (also auch Regeln
und andern Kußweilen / da der ganze Mensch von innen und von
aussen übrig zu thun hat / eine Christliche Sonntags-Feyer oder
gute Neben-Andacht statt haben könne / kan ich gewislich noch
nicht zusammen reimen. Rectè proinde Ludovicus Grana-
tensis illos, qui diem Dominicam chartis lusoriis, aleâ, tes-
seris &c. consumunt, inter profanatores Sabbathi nume-
rat. Ideoque etiam haut absque gravissimis causis impe-
ratores, Leo & Anthemius, Codice Justiniani de feriis
(l. 3. T. 12.) omnes voluptates ac recreationes hęc die fe-
riò interdixere.

§. XIII. Profanatur Sabbathum exercitio artis sagittarie,
pala-

palæstræ, pile, & comœdiarum: fisci. per ea cultus facer im-
pediatur, atqve hæc exercitia computationibus atqve in-
gluvie sint conjuncta. Hinc etiam est, quod B. Selnece-
rus in Padag. sua Christ. scribit: Peccatum est, pugnans cum
tertio præcepto, dies festos conferre in convivium & ludos, in pa-
læstras & c. & notatu quoque digna sunt verba B. Mega-
landri nostri, quæ hac de re protulit Tom. I. Jen. Lat. p. 133.
Conf. Balduin. Cas. Consc. L. II. C. 8. Dannh. Lact. Cat. P. I.
p. 530. Carpz. l. II. Def. Eccles. T. XVI. Def. 253. p. 380. seq.
Perkins. l. II. Cas. Consc. c. 16. p. 422. seqq. Kesler. Cas. Consc. c.
10. p. 56. Hypothetice Calixtus sic: Si Palestrica ita que ad
institui, ut, neq; negligendis sacris, neq; instituendis compota-
tionibus, neque aliis excessibus, occasionem præbeat, tum per-
mittenda fuerit. Si autem hujusmodi corruptelis sit obnoxia,
& vel tempus audiendis sacris impendendum sibi vindicet,
vel ad computationes invitet: tum corrigenda fuerit, si corrigi
poterit; aut, si non poterit, abolenda. Magna videtur opus esse
prudentia, sive cautione, ne, vel cum neglectu Sacrorum, vel
computationibus, vel profanis lusibus, complicetur: & nescio,
an præstari possit, ut ab hisce prorsus immunis sit, aut certè diu
immunis perseveret; in Notis B. Dilherri supra allegatis, p. 732.
quam tamen hypotheticam affirmativam in categori-
cam negativam vertit in antecedentibus B. Waltherus, ad
rationes etiam contrarias respondens p. 726. seqq. quem
vide. Ad Comœdias quod attinet, dicit B. Bald. l. II.
Cas. Consc. c. 13. c. 6. Nihil obstat, quo minus die Dominico spe-
ctari possint, finitis sacris, præsertim Biblicæ, quæ sensibus ani-
mi fortius imprægnantur, quam quæ per aures demittuntur.
Respondet verò Voëtius Disp. sel. P. III. p. 1272. Cum actiones
& spectacula comœdiarum sint ex eorum numero, quæ ad mi-
nimum sonant in malum: velimus saltem dies Dominicos ab iis
immunes esse. In Biblicis Comœdiis ut plurimum majorem in-

D

venimus



venimus difficultatem, quam in aliis, quæ seculares historias & actiones representant. Ministri modo Christum crucifixum illo imprimis die suis ante oculos publicè privatimque ex fontibus Israelis depingant; & necesse non erit ex pumice Histrionum aquam vitæ expectare. Vide Galat. III, 2. cum IV, 19. & I. Cor. I, 21 - 26. Non tamen nos ita morosi sumus, ut omnes recreationes honestas & moderatas diei Dominico prorsus abjudicemus; sed asserimus, si ejusmodi Exercitia fiant legitimò modò, esse concedenda, i. e. si honesta sint, & non fiant cum contemptu cultus divini.

§. XIV. De Saltationibus seu Choreis quid sentiendum, nunc quoque dispiciendum venit. Ubi ante omnia distingvimus (1) inter choreas pudicas & impudicas: (2) publicas & privatas. (3.) nimias atque certo tempore circumscriptas. Asserimus igitur, impudicas & intra privatos parietes ab inspectantium oculis remotas, nimias ac licentiosas, in quibus cuilibet se gerendi prout lubet datur licentia, non die saltim Dominico, sed quocunqve etiam die esse peccaminosas, atque ita imprimis hoc die sancto minimè concedendas. Quod verò ad pudicas, publicas, in omnium conspectu institutas, declinante jam die in vesperam, finitis sacris, per horulæ saltem spacium continuandas, atque inspectoribus munitas, attinet: die quoque Sabbathi fieri posse sentimus. Vid. Chrysostr. ad I. Cor. XVI, serm. 22. August. de Consensu Evangel. l. 2. c. 77. & in Ps. 32. Clem. Alex. l. 3. Pedagog. c. 11. sub finem.

§. XV. Præterea profanant Sabbathum Convivia sumptuosa & operosa, lautiora & diversi generis fercula, imprimis verò Nuptiarum celebrationes. Nam, qui convivia vel nuptialia vel alia parant, multis negotiis occupati sunt, quæ ipsos aliosque à sacro cultu avocant. Exulare igitur à diebus Dominicis debent nuptiæ, ceu cultus divini impedimen-

pedimenta; non equidem propter ipsum Confirmationis seu Ra-
 tificationis actum; multo minus propter benedictiones, preca-
 tiones, instructiones conjugales, quæ profectò nulli diei, quàm
 Dominico, melius conveniunt; sed propter à x̄p̄is us adjuncta,
 (saltem moribus antiquis) pompas, epulas, strepitus, ludos nu-
 ptiales, qui diei Dominicæ sanctificationem haut parum impe-
 diunt ac turbant. Dum enim alii moliuntur ac comuntur, alii
 opiparas epulas, alii totum Apparatum Pompaticum, omnes
 ventrem & c. os parant, facile judicari potest, quotus quisque
 ex tanta multitudine Domino feriari, & cultui ipsius tam pa-
 blico, quàm privato vacare possit -- ut Concio non-Concio, pre-
 catio, non-precatio, Hymnus non-Hymnus, Sabbathum non
 Sabbathum videatur, inquit Voëtius Polit. Eccles. P. I. L. III.
 Tr. I. S. II. c. 6. Q. 8. p. 124. Conf. ejusd. Disp. sel. P. III. p. 1264.
 & Zepper. Polit. Eccles. l. I. c. 15. 184. Bald. c. 13. cas. 8. Lud.
 Dunte q. 73. p. 253. Maref. Syst. Theol. L. VII. §. 47. p. 344. Sita-
 men alicubi locorum consuetudine receptum, ut hoc die
 nuptiæ instituantur, modus illis Christianus & sobrius
 præfigatur, illudq; D. Chrysostomi sæpius inculcetur: Nu-
 ptias audivistis, choreas non audivistis. DEUS enim simpli-
 cissimè omnia cultus sui impedimenta vult remota.
 Exod. XXXI, 14.

§. XVI. Par ferè ratio est Funerum, si apparatus requi-
 rant operosiores. Tunc præstat in alios septimanæ dies
 has solennitates rejicere. Si verò Reipublicæ emolu-
 mentum id exigat, ut scil. sine mora cadavera sepelian-
 tur, peractis sacris ordinariis, & quidem vesperi demum
 id fieri debet.

§. XVII. De Itineribus hóc die faciendis, ita statuimus.
 Nimirum alia sunt molesta, alia jucunda; alia inevitabilis ne-
 cessitatis, alia verò quæstus causa suscipi solent. Molesta &
 quæstuosæ hoc die sunt interdicta: ubi verò inevitabilis

-lum

D 2

quæ-



qvædam necessitas sese offert, longioris viæ atqve temporis iter suscipere quispiam hoc die potest. Hoc tamen peregrinantibus observandum, ne cultûs divini omninò obliviscantur, sed qvemadmodum Eunuchus ille etiam in curru suo sedens legebat Esaiam, uti videre est *Act. IIX, 28.* pias meditationes instituant. Hoc etiam vult saluberima Constitutio *Gloriosissimi Sax. El. D. AUGUSTI in Art. Gen. XVII. §. Es sollen &c.* idqve repetitum legitur in *Decreto Synodali de Anno 1624. §. Gleichwie wir auch wollen / &c.* Jucunda verò & breviora itinera, si ita fiant, ab iterfacientibus, ut intra modestiæ ac honestatis Christianæ terminos sese contineant, forent quoque licita. Nam ea quoque occasionem suppeditare possunt, ex inspectione creaturarum hinc inde sensibus se offerentium DEUM celebrandi.

§. XIX. Profanatur insuper Sabbathum, si tempore messis die Dominico *frumentum metitur & convehitur absque ingenti necessitate.* Si autem summa necessitas urgeat, tunc licitè fieri posse asserimus, & quidem peractis omninò sacris. *Vid. Brent. Explic. Decal. & Kesler. & Mart. Schook. d.l.*

§. XIX. Violatur etiam Sabbathum, si *puro seu neutrali*, ut vocatur, otio transigatur, ita ut qui otiat, nihil omninò, nec exercitia pietatis, quæ Sabbatho conveniunt, nec opera servilia similiaque, quæ illud dedecent, faciat. Imò hoc modo casus fingitur, qui nec est, nec esse potest. Otium enim, quod die Dominico sine exercitiis pietatis exercetur, non est indifferens sed peccaminosum. Nec a peccato est immunis, quia nihil agit, cum tamen aliquid agere debeat. Notum quoque est, nihil agendo homines malè agere discere: præprimis cum propter violationem Sabbathi, per justissimam DEI voluntatem, in mul-

multa peccata ruunt. Nullo certè die tam frequenter ac hoc die lapsus in ebrietatem, pugnas, execrationes, quin & in homicidia, in impuritates aliaque flagitia &c. audiri solent.

§. XX. Tandem *rhedis aut navigiis voluptarias excursions instituire, vel domi suæ in triclinio aut foris in hortis convivari ac ludere &c.* hoc die haut est licitum. Et qui huic cacoëthi assuescunt aut patrocinantur, satis ostendunt se vim r̄s memento diei Sabb. &c. minimè nosse. Verè proinde Voët. *Disp. sel. P. III. p. 1271.* Si qui sint hâc in parte judaizantes, iis meliorem mentem precamur: ut perditorum Judæorum Pseudo-Sabbathizatione relicta semel Dominicum Diem cum Christianis religiosè servant. Casus necessitatis hîc exceptionem non facit: nisi fortè æstuentes hypochondrii vapores, aut morsus tarantulae aut aliquod aliud malum, promptam animi & corporis recreationem & exercitationem requirat, quæ sine periculo in crastinum differri nequeat. De Judæorum laxa Sabbathizatione, epulis, deliciis choreis, à prandio Sabbathi usque in mediam noctem peragendam vid. Buxtorf. in *Synag. Jud. cap. II.*

§. XXI. Differuimus hætenus de principalioribus illis operibus, quibus Sabbathi Dies violatur; hoc tamen nō ita simpliciter accipiendum, ac si hoc die nullum planè opus excipi debeat: quapropter nunc quoque opera illa, quæ cum religiosa Sabbathi sanctificatione benè stare possunt, sunt adducenda; id verò fiet scopo nostro convenienter h. e. breviter.

§. XXII. Sunt verò illa (I.) *Necessitatis opera*, quæ si intermitterentur, nobis vel aliis præsentissimum adnasceretur damnum. Non autem illa tantum opera Necessitatis, quæ *absolutè* sunt necessaria seu sine quibus hominis vita subsistere non potest; sed etiam quæ *secundum quid*

seu ex ratione honestatis sunt necessaria, ab obligatione hujus præcepti sunt exempta. Huc nos referimus (a) *Opera Naturæ*: licitum enim hoc die edere, bibere, adeoque facultati nutritivæ prospicere, cibum ingerere, atque digestum egerere. Adeo ut absurdi sint illi dicendi, qui hoc die jejunare volunt, ut ab alvi purgatione (ut Essæi in primitiva Ecclesia) abstinere possint. (b) *Opera locomotivæ*: concessum enim, domo egredi, vel cultus publici vel proximi visitandi gratia, in pagum excurrere, vel in urbem visitandi amici causa, qui decumbit, vel ad medicamentum exhibendum, ne in discrimen adducatur æger. (c) *Opera rationis & voluntatis*, si præsertim referantur ad objecta licita, honesta & sacra, verbi divini meditationem, & repetitionem, &c.

§. XXIII. Non tantum opera Naturæ sunt concessa, sed etiam opera *Artis quædam*, quæ scilicet necessaria. Sic licet pectine uti, fluxos crines in ordinem redigere, lavare faciem & manus: vestimentis sese munire adversus frigus &c.

§. XXIV. Concessa sunt opera *Cultui divino subservientia*: quæ sunt, fores Templi referare, examen catecheticum instituere, infantes baptizare &c. Et denique salutis Reipubl. invigilantia, ut sunt ea, quæ ab illis, qui ad clavum Reipubl. sedent, fiunt, e.g. curare ut omnia ordine sint disposita in pagis & urbibus, ne quies turbetur publica &c.

§. XXV. (2.) *Charitatis Opera* sunt quoque concessa, ut sunt visitatio ægrotorum, exhibitio medicamentorum, deportatio decumbentium, & sublevatio, collectio & distributio Eleemosynarum, Agapæ Christianorum seu convivia charitativa, & illa omnia, quæ rectè secundum superius dicta, vel privatim vel publicè fieri possunt.

§. XXVI.

§. XXVI. (3.) *Quæ Necessitatis & Charitatis simul sunt opera*, huic diei non sunt adversa, ea nimirum, quæ inopinatus casus proximiqve salus provocat, ut, auxilium melancholico vel desperabundo ferre, extinctio flammæ, defensio per arma ab hostium incursionibus, collectio frugum &c.

§. XXVII. (4.) *Opera deniqve Libertatis*, quæ in hominis arbitrio posita, hoc die citra vulnus conscientiae suscipi possunt. Sunt verò: honesta recreatio, ratione circumstantiarum Christiana prudentia definita: nec quoq; improbanda excursio in hortos, agros & vineas; oblectatio ex adspectu creaturarum, quæ providentiam & benignitatem divinam nobis commendant: exercitia aliqua post auditas conciones & sacra finita, quæ scilicet honestati non adversantur: quæ singula fusius declarata vide ap. B. D. König. in *Cas. Consc. Catech. C. IV. p. 39. seq.* Georg. Christ. Walth. *Jct. in Postill. Theol. Jurid. Politico-Philol. P. II. D. XVII. p. Tr. §. 246. p. 701. seq.* D. Ziegler. ad *Grot. p. 172. seq.* & *Heinric. Ernest. in Sabbathismo.*

§. XXIX. Tandem, ut cum B. Walthero d. l. p. 724. hanc etiam sectionem totamq; adeò Disputationem concludam, unumquemq; ad tertium Decalogi Præceptum remitto totum. *Ejus certè singula verba, apices singuli; singula sunt pondera; quæ majoris sunt æstimanda, quàm cælum & terra, nedum ut ullis voluptatibus mundanis ac terrenis sint postponenda. Inspiciantur modò attentius tot divina oracula de Sabbato, pluries passim resonantia, quàm de ullo alio bono opere. Cum primis animus diligentius advertatur ad illud monitum, quod Regius ille Propheta Esaias proponit, c. 58. 13. ubi disertè facere prohibemur, & invenire in Sabbathi sanctificatione Voluntatem nostram. Nec inutile est, pressius evolvere; quæ monent præ cæteris Megalander Lutherus, D. Chemnitius, Dn. Sarcerius, D. Schilterus, & D. Gerhardus, in Scriptis post se relictis; verissimè medullaribus. Hactenus ille.*

Soli autem DEO gloria.



Ad Doctissimum Dn. Respondentem.

Qui colis, atqve alios colere urges Sabbathata sancta,
Sancta Tibi à Domino dona parata scias.

Gratulabundus scribebam

JO. BENEDICTUS CARPZOV, SS. Th.D.
Prof. Publ. & Facult. Theolog. Decanus.

Ad Tit. Dn. M. Respondentem.

Sabbata cur urges? sacrata quid otia laudas?
Cur Tuus in requie sudat, Amice, labor?

O quam ritè! Deus Nobis hæc otia fecit,
Et Tibi suggestus post Cathedram illa dabit!

Gratulatio & votum


TUI PRAESIDIS.


Indem Er Wehrtester/mit schönen Sätzen weist
Dis/was der Ruhe=Tag des Allerhöchsten heist/
So nimmt mein Wünschen dis zu einem guten Zeichen:
Daß Ruh und Glück nie von seiner Seite weichen!
L. J. Schmid / P.P.

Die Sabbaths=Feyer wird von vielen schlecht verrichtet
Weil diese Welt nur bloß auf schändliche Lüste dichtet;
Sie scherzt aus Unbedacht gleichsam mit ihrem Gott
Und wehlt sich dergestalt vors Leben selbst den Todt.
Gott hat das Denckmahl doch so deutlich vorgeschrieben/
Daß wir die Sabbaths=Ruh gehorsamst sollen üben.
Wenn nun die Schuldigkeit bey vielen nicht geschicht
So wird bey Frommen Schmerz und Trauren angericht.
Er spürt den Fehler auch/drum sollen diese Schriften
Ein Denckmahl seines Sinns bey später Nachwelt stifften.
Ich lobe seinen Fleiß/ und wünsche Glück darzu;
Gott geb' Ihm nach der Ruh' auch endlich sanffte Ruh'.


M. Johann Günther / SS. Th. Bacc.
Diaconus ad D. Thomæ & Collegiat. Coll. B.M.V.



















DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
SABBATHI
SANCTIFICATIONE
ET PROFANATIONE,

Quam
DEO benignè adjuvante
& consentiente

Amplissimo summeqve Reverendo Theologorum Ordine
in ACADEMIA LIPSIENSI,
SUB PRÆSIDIO

DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.
Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non Facultatis
Theologicae Assessoris gravissimi, Academiae Decemviri, Alu-
mnorum Electoralium Ephori, Collegii B. Mariae Virginis Collegiati,
& Polonicae Nationis Senioris,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI
omni honoris atqve observantiae cultu aeternum
devenerandi,

IN AUDITORIO THEOLOGORUM PAULINO
publicè ventilandam proponit

M. JO. Gottlob Hempel / Burckavia-Lus.
Sereniss. ELECT. SAX. Alumn.

Anno MDCXCI. d. 27. Augusti.

LIPSIÆ, LITERIS WITTIGAVIANIS.